

APPENDIX

AD S. DAGOBERTI II DIPLOMATA.

I.

Charia quæ Irmina, abbatissa [Horreensis]. Epternacensi monasterio a se condito portionem suam in villa Epternaco ac plurima alia dona confert; et ipsum monasterium tradit Willibordo episcopo [Trevirensi] gubernandum a (ann. 698).

Domino sancto ac venerabili in Christo patri Willibordo episcopo, Irmina in Christo Deo sacra abbatissa. Dum ab omnibus non habet in cognitum quod ego, inspirata misericordia Christi, pro consilio virorum apostolicorum, patrum nostrorum, domini Basini et domini Leotwini, episcoporum, seu et pro consensu sororum nostrarum Christo servientium, quæ nobiscum sunt congregatae, basilicas in nomine S. Trinitatis, vel in honore glorioissimæ Virginis Mariae genetricis Domini nostri Iesu Christi, seu et beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli vel ceterorum sanctorum, in villa mea propria quæ vocatur Epternacus, sita super fluvio Sura, seu et monasterium ibidem ad monachos peregrinos conservandum, vel... pauperes ibidem almoniam petendum, pro divino respectu vel pro animæ meæ remedio construxi, et dum sancitas et dilectio vestra erga me vel monasterium meum assidue agitur. Igitur decripsi apud animum meum, ut vos de rebus meis propriis in aliquo consolari deberem, quod ita spontanea voluntate feci. Idcirco dono vobis donatumque esse volo mentoratas basilicas sanctorum ad gubernandum vel dominandum. Itemque dono vobis ad supradicta loca sanctorum portionem meam in ipsa villa Epternaco, hoc est, quantumcumque ex successione paterna vel materna mihi obvenit, tam in dominibus quam ædificiis, mansis, mancipiis, vineis, terris, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, seu et pastores, vaccarios, porcarios, vervecarios, cum gregibus eorum, vel cum appenditiis suis, id est, Badalingo, Mathofovillare, vel portionem nostram in Oxinvillare, exceptis hominibus illis quos per epistolæ nostras ingenuos relaxavimus. Similiter dono vobis, vel ad supradictas basilicas, vineæ^b pedecuram unam in monte Vienensi, cum vinitore, nomine Alitfrido, cum omni peculiari suo. Ista omnia, ut dixi, ad ipsa loca sanctorum, vel vobis, a die præsenti tradimus atque transfundimus, ad gubernandum vel ad dominandum; ea ratione ut quidquid de re superiorius memorata in Dei nomine facere volueritis liberam et firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Nam si quis contra hanc chartulam donationis meæ venire

^a Vulgavit Miræus, Opera dipl., t. I, pag. 243; ex ipso recuderunt Cointius, Annal. tom. IV, pag. 348: Nontheimius, Hist. dipl. Trevir. t. I, pag. 90, ac deum auctore Novæ Galliae Christ. t. XIII, instrum. col. 293. Miræus monet quosdam pro mense Novembri mensem Decembrem inter notas chronologicas hujus chartarum legisse. Sed duas chartas pro una eademque habuit, eodem anno datas, hanc scilicet, quæ mense Novembri, alteram, quam proxinam exhibemus, mense Decembri emissam. Dubitat Miræus num hoc instrumentum anno 698 an 699 adjudicandum sit. Verum annus 4 regni Childeberti III, mense Novembri, concurredit cum anno Christi 698.

^b Lega pedataram. Vide, infra, notas ad testamento Irminæ.

^c Basinus et Leodowinus subscrivunt, ambo Trevirenses episcopi. Basinus in solitudinem recesserat anno 695, et huic successerat Leodowinus, nec eo

A tentaverit, inferat fisco auri libras decem, argenti pondo viginti, manente nihilominus firmitate. Actum Treveris, sub die kalend. Novembris, anno iv domini nostri Childeberti regis. Ego Hunclo, in Christi nomine presbyter, hanc chartulam donationis, jubente domina mea Irmina, perscripsi: et ipsa subier, manu propria, una cum testibus, firmavit, et qui subscripti pserunt, in præsenti rogavit.

Ego Irmina, in Christi nomine, hanc donationem relegi. Basinus episcopus. Leodowinus episcopus. Theodosfridus presbyter. Waltharius diaconus. Gangbertus presbyter. Hudobertus presbyter.

II.

Testamentum Irminæ, abbatissæ [Horreensis], quo Epternaci monasterio legat quidquid sibi ex paterna et materna hereditate obvenit^d (ann. 698).

Anno quarto regni domini nostri Childeberti regis, sub die kal. Decembris. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Irmina, in Christi nomine Deo sacra, acsi indigna, gratia Domini abbatissa, sana quidem, Deo proprio, mente, sanoque consilio, testamentum meum fieri rogavi, idque fratri in Christo meo Huncioni presbytero scribendum commisi. Idcirco dono a die præsenti, pro remedio animæ meæ vel pro meritis meæ augmento in æterna beatitudine vel retributione, ad basilicam quæ est in nomine sanctæ Trinitatis, vel in honore sanctæ Mariæ genetricis Domini nostri Iesu Christi, vel beatorum apostolorum Petri et Pauli seu ceterorum sanctorum, quæ est in villa nostra Epternaco constructa, sita super fluvium Sura, ubi dominus noster et pater in Christo Willibordus episcopus, rector et gubernator esse videtur, donatumque esse volo, hoc est in ipsa villa Epternachon, quantumcumque ibidem ex successione paterna vel materna mihi obvenit ad integrum, tam dominibus quam ædificiis, casis, manais, mancipliis, vineis, campis, pratis, sylvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cum appenditiis omnibus, vel adjacentiis suis, Badelingo, Mathoflingo, vel portione mea in Oxenvillare, omnia ista cum adjacentiis eorum, una cum pastoribus, vaccariis, porcariis, brevicariis cum gregibus eorum vel omni peculio promiscuo, ad sæpe fata loca sanctorum, vel ad monasterium ibidem constructum in Dei nomine volo esse donatum, exceptis hominibus illis quos per epistolæ nostras ingenuos relaxavi, quorum vocabula sunt: Garario, Cumboaldo, Achilde, Theodosfridus filio, Alitfrido, Vlodoare, Roacare, Warvinlinde, Bacelinde, Graucelebata, Gundulfo. Ista toti

minus uterque titulo episcopi huic testamento subscripsit anno 698.

^d Primum vulgavit ex mss. Browneus, Hist. Trevir. t. I, pag. 350, verbis, ut ait, paululum deflexis, imo plurimi nuntiatis aut prætermisssis, ne Latinis sermonis puritatem violaret. Ad ipsius fidem recuderunt Henschenius, de trib. Dagob. lib. II, pag. 113, et Cointius, Annal. t. IV, pag. 351. Ex Epternaci chartario integrum e illud Martenius, ampliss. Coll. t. I, pag. 9; hinc Miræus, Dipl. Belg. pag. 246, et Opera dipl., t. III, pag. 284; Calmetus, Hist. Lotbar. t. I, prob. col. 27; Bertholetus, Hist. Luxemb. t. II, prob. pag. 23; Nontheimius, Hist. dipl. Trevir. t. I, pag. 92, et Nova Galliae Christianæ auctore, t. XIII, instr. col. 294, typis mandaverunt. Miræus chartam hanc confudit cum altera in hujus confirmatione emissa, ut supra diximus in nota ad chartam quæ proxima precedit, iisdem tene verbis conceperim.

denominati, annis singulis unusquisque eorum in illuminaribus unam libram ceræ ad supradicta loca sanctorum in ipsa villa Epternaco constructa, ad nativitatem Domini reddere et dissolvere studeant. Similiter dono ad jam dicta loca sanctorum, vineæ et pedetaram unam in monte Vienensi, cum vinitore nomine Alithfrido, cum omni peculiari suo. Ista omnia, ut superiorius intimavi, ad memorata loca sanctorum, a die præsentí per præsentem paginam testamenti nostri tradimus atque transfundimus perpetualliter in Dei nomine possidendum. Hæc sunt quæ huic testamento meo annexera volui: si quæ literæ, vel caraxature adjectionis factæ sunt, ego feci fierique jussi, dum mihi mea sæpius recensetur voluntas. Nam si quis contra hoc meum testamentum venire tentaverit aut aliquid irrumperet voluerit, sit anathema maranthes indissolubili vinculo in æternum damnatus, et sit hec percussus Naaman Syri; et insuper inferat fisco auri libram unam, argenti pondo duo, et nihilominus præsens testamentum firma statilitate permaneat.

Actum Treberi, die et regno suprascripto. Ego Ilmatio, in Christi nomine presbyter, rogante et jubente domina mea Irmina abbatissa, hoc testamentum perscripsi, et ipsa subter, manu propria, una cum testibus, firmavit. Ego Irmina hoc testamentum meum relegi. Basinus episcopus. Ego Leodwinus episcopus. Ego Theodosfridus. Gundobertus. Bertwinus. Adelbertus. Trasibricus. Garibertus. Gazoberthus. Audobertus. Waltharius.

III.

Charia qua Irmina, abbatissa [Horreensis] Epternaci monasterio concedit villam Montem, in pago Tulpiacensi, et dona prius collata confirmat (ann. 689).

Dominus sancto et in Christo patri Willibrordo episcopo Irmina abbatissa donatrix. Quidquid unusquisque homo de rebus suis propriis ad loca sanctorum aut servorum Dei spontanea voluntate aliquid condonaverit, hoc sibi credit mercedis premium recipere in futuro. Idcirco dono ad monasterium vestrum in villa Epternaco constructa super fluvio Sura, quod ego a novo de fundo proprio ædificavi, vel ad illa loca SS. Petri et Pauli apostolorum ceterorumque sanctorum constructa, donatumque esse volo a die præsentí, hoc est, quantumcumque in ministeria ipsorum sanctorum condonavi, vel in qualibet præsidia dedi, t. m. auro, quam argento, gemmis, vestimentis altarium, velis, cortinis, utensilia tam ærea quam ferrea seu et ligna operis quantumcumque in ipsa loca sanctorum, vel in prædicto monasterio po-

* Locum hunc eliminavit Browerus ut vocem pedetaram expungaret, quæ puram Latii sermonem minime sapit; pedetaram, seu potius pedaturam, interpretatur Martenius aream certo pedum dimensione comprehensam.

* Hanc eruit Martenius ex chartario Epternacensi, ampliss. Collect. t. 1, col. 10; recudit Hontheimius, Hist. Trevir. dipl. t. 1, pag. 93, ex Martenio. Ermintrudis, quam Irmina consobrina suam appellat, Martenio eadem videtur quæ Ermentrudis, matrona illustris, cuius testamentum vulgavit Mabillonius, ad calcem Liturgie Gallic. Villa montis, de qua agitur, ad ostium Moselle, ut ait Hontheimius, ubi supra, pag. 557, in Tulpiacensi pago sita fuit; qui pagus in Agrippinensem finibus quarendus, olim amplitudine immensa diffusus, sed postea bona sui parte truncatus. Utriusque generis nationem intelligit Irmina Gallicam et Teutonicam. De duobus episcopis Trevirensibus Basino et Leodowino huic chartæ subscribentibus diximus supra, inter annot. ad chartam Irminam.

* Adela Dagoberti regia quondam filia. Dagoberti scilicet II. Aliæ eam etiam Adulam et Adelantem vocauit. Credidit Eckhart (Rer. Francic. lib. xv,

A nere jussi, aut in ante Christo præsente addere potuero, volo ut hac ex nostra munificentia in Dei nomine proficiat perpetualiter in augmentis. Similiter dono vobis a die præsenti ad ipsum monasterium vestrum Epternacense villam ejus vocabulum est Montis, etiam in pago Tulpiacensi, quam de dulcissima consobrina mea Ermintrude, filia Pantini, dato prelio comparavi, hoc est, tam dominibus, quam ædificiis, mansis, casis, mancipiis, campis, sylvis, pratibus, pascuis, adjacentiis, aquis aquarumque decursibus, omnia ex omnibus ad integrum, vel quantumcumque in memoria villa Montis, tempore præsente possidere videor, seu et peculi promiscuo utriusque generis nationum vobis, vel ad sepe satum monasterium vestrum Epternacense, a die præsenti, et superiorius dixi, de potestate mea in jure et dominatione vestra vestrique monasterii, per præsentem paginam donationis meæ manu mea firmata tradò atque transfundò perpetualiter in Dei nomine possidendum; ea ratione, ut quicquid ex hoc, tam vos quam fratres ipsius monasterii elegatis, facieundi, habentis, tenendi, communandi liberam et firmissimam in omnibus habebitis potestatem, et nullius ex hoc calumni in habere pertimescatis. Nam si quis contra hanc cartam donationis, quam ego spontanea voluntate fieri decrevi, tentare conaverit, imprimitus iram Dei omnipotens incurrit, et inferat fisco auri libras tres, argenti pondo viij, et hoc quod repetit nullatenus valeat evindicare. Facta est hæc cartula donationis sub die kal. Julias, anno v regni domini nostri Childeberti regis.

Ego Huncio, in Dei nomine presbyter, rogante et jubente Irmina abbatissa, hanc cartulam donationis perscripsi, et ipsa subter, manu propria, una cum testibus, firmavit. Ego Irmina hoc testamentum a me factum relegi. Basinus episcopus. Leodowinus episcopus. Waltharius diaconus. Berilius diaconus. Tarobertus diaconus. Ethibericus presbyter. Garbericus. Transbericus. Bosa. Aodebertus.

IV.

Charia qua Irmina Willibrordo episcopo concedit quidquid possidet in villa Stancheim.

(Vide Patrologia tom. LXXXIX, col. 537.)

V.

Testamentum Adelæ filie Dagoberti regis pro monasterio monialium in Palatiolo ab ipsa fundato (ann. 690, 1 April.).

(Ex Hontheim, Historia Trevirensis.)

Adela in Christo Domino sacra abbatissa, Da-

n. 11), neque temere, ab illa non differre Adulam, quæ Andanense cenobium invisiisse dicitur in Vita sanctæ Gertrudis (Cap. 11) ubi et filius parvulus, quem multum delicate diligebat, in fonte submersus, et, lecto sanctæ Gertrudis appositus, resuscitatus fertur. Ea enim, quæ ibi de Adula hac dicuntur, congruunt in Dagoberti regis filiam. Verba Vitæ sanctæ Gertrudis hæc sunt: « Non post multis dies (cum Begga sanctæ Gertrudis soror Andanense cenobium sub finem septimi sæculi exstruxisset) ad idem monasterium quadam religiosa femina venit, ex nobili genere orta, cui nomen erat Adula, in omnibus fere ancilla Christi, in habitu casta, in humiliitate religiosa, in charitate non sicta, iu eleemosynis senibus ac pauperibus large, egenis et peregrinis hospitalis. » Videtur etiam Mabillonio (Annales Benedict., tom. II, lib. xix, n. 5) ea esse Adolana abbatissa, cui in epist. Bonifacii 51 Elsfeda, iudicem abbatissam, Anglicani cuiusdam cenobii, aliam abbatisam, etiam Anglicanam, Romanam pergentem, commendat, hac salutatione præmissa: « Dominæ sanctæ atque a Deo honorabili Adolane abbatissæ, Elsfeld, ecclesiastica famula sempiterne spiritualis salutem in Dominu. »

goberti regis quondam filia. Cum per valgatum notumque bonis omnibus sit, quemadmodum nos monasterium in villa quæ dicitur Palatiolum, in ripa positum fluminis Mosellæ, quod ipsum a Pippino majore domus Treviris permutatio quiescivimus, honorique sauctæ Mariæ virginis, genitricis Domini nostri Iesu Christi, et beatorum Petri et Pauli, ceterorumque sanctorum jam dudum ad proprii monasterii usum extruximus, in eoque monacharum costum, disciplina et regula sancti Benedicti viventium, aggregavimus; faciendum denique nobis visus est ut has vice degendas necessarias opes, quas de propriis hactenus largite sumus, testamenti etiam praesenti pagina confirmaremus.

Legamus itaque, et donamus huic, quod diximus, monasterio villam nostram, quæ dicitur Palatiolum, in qua cenobium esse constructum videtur, idque cum omni integritate, tam domibus, aedificiis, additamentis, casis, curtibus, mansis, mancipiis, quam vineis, campis, pratis, silvis, adjacentibus, farinariis, aquis aquarumque decursibus, et omnibus iis quæ ad ipsam pertinere villam constat.

Addi volumus his prædium a Scripnasiū in pago Mosae sītū, ad ipsius Mose fluminis ripam, omnē-

* *Scripnasiū in pago Mosae.* Vid. Chron. Gottw. 1. cit., p. 693.

^b *Dulcissimo filio Alberico.* Habuit primum Adelmarium virum illustrem, ex quo mater fuit Theodorici; hic iterum genuit Albericum, qui anno 722 in comitatu S. Bonifacii aviam Adelam in monasterio suo Palatiensi invisit, et Bonifacium deinde secutus est magistrum, usque dum sub nomine Gregorii abbas Trajectensis factus est, ut ex Ludgeri Vita S. Gregorii huius discimus. Defuncto Gregorio abate, pastoralē curam Albericus nepos ejus ibidem suscepit, ut Alfridus in Vita S. Ludgeri, cap. 43, prodiit.

* *Germana mea Regentrude,* etc. Multum hac charta illustratur genealogia Adelæ; ex ea hoc conficit schema Eckhart Herum Franciarum tomus I, p. 265.

A que possessiones ejus villæ, uno duntaxat quadragesima Jngerum agro excepto, quem Insula nomine appellatum, jam ante ^b dulcissimo filio Alberico donavimus. Similiter a Deipara matris hoc monasteriu possideri prædia ea omnia volo quæ in Biebergis Bessanchoque sita, quæque a dolcissima ^c germana mea Regentrude dato prelio comparavi. Rursus portiones meas villarum Enchiariaci [Enkerich], Urzaci [Urzig], Caimetarum [Keimpf, prope Cellas] his adjicio, quæ ad Mosellam omnes sitæ sunt.

Quibus adjungi res etiam eas facultatesque placet que in prædio Regimosei a Feronio filio Tullonis justa mihi venditionis titulo quondam obtigere. Accedunt etiam his possessiones Baldetingis, quæ ^d in pago sitæ Betensi, et a Ganciōfrido, et Wigerico emptæ, in jus pecuniorumque meum redactæ sunt. Item quæ in prædio Machariaco [Forte Machera] a Bertino mibi donata. Hæc omnia tribuo donoque. Ad extrellum id quoque de sententia congregationis meæ moratae statuimus, ut quidquid opum possessionumque in monasterium hoc ipsum contulimus, id in archiepiscoporum Ecclesie Trevericæ semper sit arbitrio alicue tutela.

Datum Kalendis Aprilis anno 12 Theoderici regis.

Dagob. II rex † 678.
Ux. Macnildis.

Sigebertus † 678.	Irmina abbesse Horreensis	Adela uxor N. dein ab- besse pa- latioli.	Regentrude
		Albericus.	

Albericus, post Gregorius N.
dictus abb. Traiectensis

Albericus abbas
Traiectensis.

^d In pago sitæ Betensi. Sic legendum, et non Bentensi, ut legit Browerus Aunsi. l. vii, n. 83. Unus error profluxit eorum qui Bentensei paginam constituerunt a Betensi distinctum. V. Chron. Gottw., p. 557.

AD DIPLOMATA THEODORICI III.

PROLEGOMENA

§ I. — *Diplomata sincera.*

1. Anno regni sui primo, quem cum anno Christi 675 illigamus, Condedo, abbatii monasterii Fontanellensis, Theodoricus concessit insulam Belciniacam in Séquanæ alveo, non procul a Calidobecco, diplomate n. I, quod ex schedis Mabilionii vulgatum fuit in Collectione scriptorum historiarum Franciar. t. IV, pag. 652. Hujus diplomatis mentio fit in veteri Vita sancti Condedi, inter Acta SS. Bened., t. II, pag. 827. Illud recudimus ex litteris Philippi Valesii, quibus renovatum est jam vetustate attritum. Hilarum litterarum apographum accuratissimum exstat in chartophylacio nostro. Apographum quo utimur exscriptum fuit ex litteris originalibus Philippi Valesii in archivo Fontanellensi asservatis, membrana munita sigillo in cera viridi, his sericis rubeis pendente, exhibente lilia sine numero. Invocatio initialis diplomatis insolita quidem his temporibus fuit, sed in quibusdam partibus membranam attritam et consuuptam fuisse rex ipse in litteris suis monet; hinc arguere fas est amanuenses, in ipsa exscribenda, initiale formulam deficientem juxta statutis sue morem

supplevisse. In Belciniaca insula Condedus monasterium construxerat, uti dicit Mabil., Annal. l. I, pag. 525 et seq., et Acta SS. Bened., t. II, pag. 829, quod cum insula monasterio Fontanellensi subject; sed hæc omnia unda obruit. Emergere visa est insula anno 1641, sed iterum evanuit, nec ejus vestigia supersunt.

2. Diploma n. II, quo Theodoricus monasterii Anisolensis res et libertates sub sua protectione suscepit, solus edidit Martenius, amplissim. Collect. t. I, col. 7, ex Anisolensi chartulario de promptum. Illud pugnat cum instrumentis contra libertatem hujus monasterii fabricatis, inter Acta episcoporum Cenomanensis insertis, de quibus ioties. Obliterate sunt nota chronologicae. Ergo, ut arguit Martenius, Theodoro III, non Theodoro IV, seu Kalenei, tribuendum est diploma de quo agimus. Sivardus enim, qui tunc regebat monasterium Anisolense, sub Theodoro III, decessit, scilicet anno 687, juxta Bollandistas, die 2 Mart. pag. 65, not. aut forte anno 684, quod pluribus argumentis astruunt auctorres Historia literariorum Franciar. t. III, pag. 633, contra Mabilionum, acta SS. Bened. l. III, p. 459, et Bondonnetum, Vitæ episc. Cenom. pag. 301.